

## **Dissertatio Academica De Studii Philologici Vera Dignitate**

Gryphiae: Litteris J.H. Eckhardt, [1798]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn890219184>

Druck Freier  Zugang



DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
STUDII PHILOLOGICI  
VERA DIGNITATE,

---

QUAM  
VENIA AMPLISSIMAE FACULT. PHILOS. GRYPH.  
PRAESIDE  
Mag. JACOBO WALLENIO,  
STILI GERMANICI, AESTHETICES, LATINITATIS  
ET LINGUARUM ORIENT. PROFESSORE REG. ET EXTRAORD.  
NEC NON SOCIETATIS BEROLINENSIS SCRUTATORUM  
LINGVAE ET LITTERATURAE GERMANICAE  
MEMBRO ORDINARIO,

PRO LAUREA  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

AUCTOR  
JACOBUS PETERSSON,  
SCANUS.

IN AUD. MAJ. DIE 22 DEC. 1798.

---

G R Y P H I A E,

LITTERIS J. H. ECKHARDT, REG. ACAD. TYPOGR.

*Ob-694(1.11)*

*Bibliotheca  
Academica  
Rostochiana*

*Ca  
Bibliotheca  
Academica  
Rostochiana*

STUDIUM PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

VIRO MAXIME REVERENDO  
S. S. THEOLOGIAE PROF. PRIMARIO,  
DIOECESIOS LUNDENSIS ARCHI PRAEPOSITO, ET TEMPLI CATHEDRALIS  
PASTORI VIGILANTISSIMO,  
VENERANDI CONSISTORII ASSESSORI PRIMARIO,  
SUMMO PATRONO ET EUERGETAE  
NICOLAO HESLÉN.

Leve hocce tirocinium in summae observantiae gratis-  
fimaque mentis monumentum, et sui ulteriorem com-  
mendationem sacrare

DEBUIT, VOLUIT

cultor devotissimus  
JACOBUS PETERSSON.

PHYSICAL CHEMISTRY

BY

W. N. SHIBATA, PH.D., UNIVERSITY OF TORONTO

SECOND EDITION

REVISED BY THE AUTHOR

OXFORD UNIVERSITY PRESS

OXFORD, ENGLAND

PHYSICAL CHEMISTRY  
BY W. N. SHIBATA, PH.D., UNIVERSITY OF TORONTO  
REVISED BY THE AUTHOR

OXFORD UNIVERSITY PRESS

OXFORD UNIVERSITY PRESS  
OXFORD, ENGLAND



**N**obili huic argumento etfi pares non sunt vires meae, tamen ea, quae, aut ex acroasi literaria, aut ex privata lectione percepi, ita colligam, ut pateat, quam parum norint Philologiam ii, qui eam saepe magno fastu contemnunt.

§. I.

Quidquid cogitarunt homines, id etiam *significarunt*, aut voce, aut scriptura, aut monumento. Gestu enim, etfi vividius, paucissima indicantur.

A *voce* exstitit humani sermonis et linguarum illa mira varietas: a scriptura, proprio sensu, *literarum* orbis: a *monimento* grave studium venerandae Antiquitatis.

## §. II.

Jam immensum illud, quod voce, literis, monimentis usque et ubique *consignatum* exstat, si nemo intelligeret? nemo interpretari posset? nonne statim obmutesceret illa nunc altifona doctrina omnis? nonne stuperet caecutiens in media luce?

Est autem immensum illud, quod voce, literis, monimentis usque et ubique *consignatum* exstat, haec igitur univ<sup>er</sup>sa *consignatio* scientiae humanae, id ipsum, in quo versatur PHILOLOGIA.

## §. III.

Quodcunque *cogitatum* est, id aut e mente sua, aut e sensu suo, saepe facillime, saepe levisime, judicarunt mortales: at Quodcunque *significatum* est, id fere nunquam nisi studio et magno et subtili indagatur.

Hinc non raro illiterati et indocti altissime philosophati sunt, quin omni arte mire excelluerunt: at summus quidam Philologus mortalium nemo fuit nisi literatissimus idem et doctissimus. Ideoque, licet inter Latinos tanta laude celebrarentur tot Historici, Oratores, Poëtae, omnique sapientia clari viri, VARRO tamen *doctissimus* Romanorum, velut solenni judicio, vocabatur.

Unde intelligitur, cur antiquis Doctrina κατ' ἐξοχήν,  
Eruditio univ<sup>er</sup>sa, Studium literarum omne, PHILOLOGIAE

no-

nomine clueret. Ejus enim grave munus est, illas scrutari *litteras interiores et reconditas*, quas admiratur CICERO, *de Nat. D. L. III. c. 42.*

§. IV.

Tanto igitur ineptius ex vocabulo aestimatur PHILOLOGIA: *amor sermonis seu studium linguarum.* Quum tamen univcrse ac ubique Scriptura et Monumentum, Fabula et Tabula, Signum et Simulacrum, nihil sint nisi quaedam altior lingua seu sermo sublimior. Jam vero, quid *significatum* sit, quomodo intelligitur, nisi etiam, quid *cogitatum* sit, intelligatur? Signum enim nisi Signato, et Verba nisi Rebus, nunquam innotescunt, nunquam illustrantur. Ac proinde jam immensum illud, quod consignatum est voce, literis, monumentis, *interpretari ac dijudicare*: ea interiora et recondita, velut humanae Scientiae omnigena mysteria, nobis recludere: id, inquam, omne, quanti sit operis, quanti pretii, dilucet. Nunquam enim praestabitur sine illa doctrina *multiplici ac varia*, quam tribuit SÜETONIUS Philologiae, *de cl. Gr. c. 10.* et quam omnes in PLINII *Historia Mundi*, vel in SALMASII *Exercitationibus Plinianis*: in GELLII *Noctibus Atticis*, vel in RHODIGINI *Lectionibus Antiquis*: et in quocunque demum summo Philologo et Critico, admiramur.

§. V.

## §. V.

Nam in sermone quidem ipso vulgaria, ludimagistris tractanda, praeterit Philologus: at *linguam secretiorem*, QUINTILIANO dictam L. I. c. 1. is unice indagat. Unde et Glossaria veteris et Dictionaria novi sermonis usque celebratissima exstant apud omnes fere gentes cultiores, et cuique genti, quo est cultior, eo et plura et nobiliora. Quae opera et immensi studii et admirandi acuminis adeo maximi aestimantur, ut summi etiam Imperantes, publica saepe auctoritate, clarorumque virorum sociato labore, eadem adornari iusserint. His autem plane destituti, eheu! quousque balbutiremus etiam nunc rudes et barbari? quousque caecutiremus in veteri, hallucinantes in recenti, literatura omni? Et si quis putet, huic studio tamen plus requiri diligentiae quam ingenii, nae is inspiciat vel GIRARDI vel EBERHARDI synonymica tentamina; utique mirabitur, in ea *verborum* elegantia omnem latere subtilitatem *rerum*, omnemque philosophici elucere vim iudicii. Nec sermonis humani excelsas illas et mortalium opinione divinas artes, Poësin atque Oratoriam, nunc loquor: nam cui non adoratur dignitas earum? quas omnino, quatenus artes, Philologia, etsi non sola, moderatur.

## §. VI.

## §. VI.

A voce autem ad *scripturam* progrediens ac proprie dictas *litteras*, illico PALAEOGRAPHIAM invenies universam: Scribendi abstrusam originem et stupendam diversitatem, usque ad Magiae mire figuratos griphos et antiquissimae sapientiae hieroglyphica mysteria: tum et CRITICEN, qua quid sit a quovis vere scriptum, discernitur: atque DIPLOMATICES demum illud grave ac nobile studium.

Quibus si addas ARCHAEOLOGIAM inscriptionum, numismatum, emblematum et mythorum, quin antiqui cujuslibet et artificii et *monimenti*; jam cui non patet Philologiae vera dignitas et amplitudo tanta, ut sine ea, quum Historia, tum generatim Eruditio, nobis esset nulla!

## §. VII.

Unde haec tria exstant gravissima testimonia, quibus sese sui que nominis gloriam tueatur PHILOGIA.

I. *Illius* lucē fugatam in Europa taetram esse incitiae noctem: *illius* elegantiae primo cessisse Barbariem: a PETRARCHA inde, per ERASMOS et NIZOLIOS, ad hanc usque nostri aevi culturam. *Illius* vero elegantiae cessisse Barbariem: non acumini philosophiae: cujus acumen subtilius nunquam fuit aut magis omnia transcendens, quam in ipsa illa media barbarie. Hinc non modo contra Philosophiae *incultissimas voces*, sed etiam contra Philosophiae *absonas notio-*

nes, scribere illum celebrem *ANTIBARBARUM Philosophicum*, a LEIBNITZIO denuo editum, necesse habuit NIZOLIUS et cum eo nobilior quisque Veri ac Pulcri vindex.

Adeo ut Philologia, quum exteriori cultu, tum interiori iudicio, semper visa sit illa, quam quaerimus, Hominum *Humanitas*: certe semper ita vocata.

II. Ergo etiam nullus exstat mortalium cultior, qui hoc *Humanitatis* omne studium non eatenus colat, quatenus est cultior.

III. Ideoque illa publice admiramur, apud nobilissimam quamvis gentem, summorum imperantium nutu ac numine, sicut *Parisis* vel *Holmiae*, institutarum, genera inventricium Academiarum bina: nempe, Academias *philologicas* et *physicas*: elegantium literarum, et naturalis investigationis.

#### §. VIII.

Jam quis non indignetur istam barbaram superbiam, qua doctores non pauci dedignentur ea, quae hominum cultissimi colunt et quae clarissimi atque in republica maximi viri magnificiunt.

Nam quod tam fastose dictitant, esse illa studia Humanitatis *minutiora*, id quam sit vanum, patet: quoniam vel maximarum artium videmus elementa minutiora, atque sunt necessario minutissimae partium particulae: a quibus

ta-

tamen initiis exurgit omnis illa et Naturae et ingenii humani magnitudo.

Tractari vero saepe a Philologis mire *inutilia*, iidem ajunt. Non enim perpendunt, quid et quantum illud sit, quod in omni disciplinarum ambitu *inutile* vocari possit. Non cogitant illam prope infinitam varietatem quaestionum subtilium, in quavis arte.

§. IX.

Ergo jam, si mortalium studio dematur quidquid est *curiosum* et *rarum*, quidquid est *exquisitum* et *elegans*; o tandem infelicem te, humana mens, divinae omniscientiae cupida et imitatrix, at frustra! Nam, *utilitatis* ea lege, nihil meditaberis usque, nisi fatalem vitae servitatem ac durae necessitatis vincula!

§. X.

Quod autem avertet ille Deus, qui nobis dedit imperantes omni humanitatis laude ornatisimos.

Est enim elegantia *literarum* alia nulla, quam et *morum* et totius vitae *cultioris*: haec vero elegantia, et pulcritudo demum ipsa, proprie non dicitur *magnae utilitatis*: at solam utilitatem vel animalia bruta sectantur, dum altiori studio Humanitas colitur et Mens attollitur immortalis.

§. XI.

## §. XI.

Itaque Picus ille, princeps Mirandulae vere mirandus, hoc habet hac de re sapientissimum effatum: *Op. O. ep. ad Hermol. Barb.* „Non est *humanus*, qui sit insolens politioris literaturae. Non est *Homo*, qui sit expertus Philosophiae.“


Et qualis erit igitur iste *homo*, non *humanus*? talis vel doctissimus erit sine literarum elegantium vero cultu.

## §. XII.

At videmus tamen magistros elegantiarum saepe mire inelegantes! omnino: non autem aliter ac Theologos parum religiosos, Jurisconsultos parum justos, Medicos parum sobrios, Philosophos denique amentissimos.

Constat nihilo minus illud: solo elegantium literarum cultu gentem quamcunque, ut CICERONIS utar verbis, ex *immani et barbara* factam fuisse *humanam et doctam*.





exfurgit omnis illa et Naturae et ingenii hu-  
ando.

vero saepe a Philologis mire *inutilia*, iidem  
enim perpendunt, quid et quantum illud fit,  
disciplinarum ambitu *inutile* vocari possit. Non  
prope infinitam varietatem quaestionum subti-  
avis arte.

§. IX.

n, si mortalium studio dematur quidquid est  
*rum*, quidquid est *exquisitum* et *elegans*; o tan-  
m te, humana mens, divinae omniscientiae  
atrix, at frustra! Nam, *utilitatis* ea lege, nihil  
isque, nisi fatalem vitae servitutem ac durae  
acula!

§. X.

tem avertet ille Deus, qui nobis dedit impe-  
humanitatis laude ornatisimos.

elegantia *literarum* alia nulla, quam et *morum*  
e *cultioris*: haec vero elegantia, et pulcritudo  
proprie non dicitur magnae *utilitatis*: at solam  
animalia bruta sectantur, dum altiori studio  
litur et Mens attollitur immortalis.

§. XI.